4

DE

INAVGVRATIONE PRINCIPVM SVPER CLYPEO

DISPVTATIO

QVAM

A. D. XXII. SEPTEMBR. A. C. CIↃ IↃCC LXX.

PRAESIDE

CHRISTIAN. ADOLPH. KLOTZIO

CONSILIAR. REG. INT. PROFESS. PHILOSOPH. ET ELOQVENTIAE P. O.

DEFENDET

AVCTOR

IOANNES AVGVSTVS WOHLFAHRT

HALENSIS.





HALAE AD SALAM,

AERE STEPHANIANO.

VIRO

EXCELLENTISSIMO, CONSVLTISSIMO,

DOCTISSIMO

IOANNI IACOBO WOHLFAHRT

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI

ET ACAD. CAESAR. NATVR. CVRIOS. SODALI

AVVNCVLO SVMMA PIETATE

COLENDO

HOC

ACADEMICVM SPECIMEN

D. D. D.

ANIMVM GRATVM TESTATVS DEVMQVE PRECATVS,

VT

EIDEM FAVEAT FAVSTVMQVE IN EVROPAM REDITVM

E SVRINAMENSI REGIONE CONCEDAT

IO. AVGVSTVS WOHLFAHRT.



DE INAVGVRATIONE PRINCIPVM SVPER CLYPEO.



§. I.

Primum omnium, quibus Francorum hiſtoriam illuſtrauit vir plurimarum rerum ſcientia ſummaque diligentia olim praeditus, Bernardus Montfaucon, monimentorum ſatis memorabilem priſcae inaugurationis reguma ntiquorum imaginem offert dignamque, quae conſideretur attentius. Nam nullum, quantum memini, monimentum antiquum huius ritus veſtigia exhibet, et imperitia ipſa pictoris animos oculosque noſtros aliquamdiu moratur. Illud monimentum quale ſit vt cognoſcant lectores, repetamus, qua illud deſcripſit vir olim doctiſſimus, orationem totam *a*). *In elegantiſſimo codice Graeco*

Biblio-

a) *Monumens de la Monarchie Françoiſe.* Tom. I. tab. I. *Diſquiſit. praeu.* p. 19.

A

Bibliothecae Regiae decimi seculi, vbi Dauid rex promulgatur clipeo superpositus et a suis sustentatus. Dauid clipeo nixus stat a quatuor viris sustentatus. In concaua autem clipei facie extremam ille partem occupat, quae ibidem reflectitur. Breuiore indutus est veste, ex pictoris arbitrio facta, vt alia circumstantium omnium vestimenta. Sceptrum eius flore lilii terminatur, qui flores Constantinopoli ad Ornatus varios in vsu erant. Multi etiam huiusmodi flores visuntur in plano tecto vicinarum aedium, vbi quidam per fenestras rem, quae agitur, spectant. Flos lilii vnus etiam conspicitur in frontispicio vicini templi. Dauid a iuuene quopiam coronatur. Corona est merus circulus figuris ornatus. Qui coronat illum iuuenis lauro et ipse coronatus est, et circa caput nimbum habet vt et Dauid. Iuuenis autem ipse Corona est, personae more repraesentata: sed quia στέφανος *est generis masculini, ideo vt adolescens exhibetur, secundum morem Graecorum iam a priscis temporibus obseruatum. Omnia quippe personarum more pingebant in statuis anaglyphis et picturis: et si nomen rei, quam personae forma depingere volebant, masculinum esset, illam vt virum repraesentabant: si foemininum, vt foeminam.* Haec ille. Vtinam vero copiosius de hac pictura egisset vir doctus atque inprimis commemorasset, quale argumentum contineat ille codex, cuiuis ornamentum eam esse voluit pictor! Sed iusto breuior fuit cum in hoc tam in altero opere, quo longe plurima antiquitatis monimenta complexus fuit, Montefalconius, quoties de ipsis monimentis loquitur, verbosior saepe praeter necessitatem in argumento illorum explicando.

§. II.

§. II.

Iam vel tacentibus nobis patet, pictorem satis ridiculo errore, quas constantinopoli forte viderat aut ibi obtinuisse audiuerat, inaugurandorum principum caerimonias, ad Hebraeos transtulisse. Eiusmodi errores a sculptoribus pictoribusque, aut ignaris priscorum rituum, aut non recordantibus diuersam temporum rationem, commissos fuisse saepenumero, sciunt, qui artium historiam cognitam habent. Tribuunt antiquis temporibus arma, vestes, aedes, alia, quae iis plane ignota fuere, longe serius inuenta et cognita. Recte commendauit Io. Schefferus, praeter alia, quae vtilissima pictori sunt, artifici vitae humanae vsum *b*). „Vsus ait vitae humanae positus est in intellectu rerum, actionum, motuum cuiusque pro ratione temporis, loci, personae, legum, consuetudinum conuenientium: ne quid praepostere abhorrensue vel a moribus publicis priuatisque pingatur: vt si Romanus in pallio, Graecus in toga, hi imberbes, illi barbati formentur. Consequetur pictor hoc diligenti obseruatione antiquitatis monimentorum, lapidum, numorum, gemmarum et similium.„ Sed quam pauci fuerunt omni aetate, qui vere gloriari possent, se omnia sic exhibuisse, vt temporum morumque ratio postularet. Nec ipsi quidem antiqui artifices his erroribus immunes esse videntur. Nam in Herculanensium picturarum alia Theseus *c*) annulum habet, in alia legatus Aeolorum ad Oeneum, regem Calydoniae, missus,

 annu-

b) v. Io. Schefferi *Graphice* p. 108.

c) v. *Le Pitture antiche d'Ercolano* Tom. I. tab. V.

annulum, vt ſolebant legati, praefert *d*), licet Plinius Troiani belli temporibus annullorum vſum nondum cognitum fuiſſe ſcribat *e*). Longe vero plura eiusmodi errorum exempla praebent recentiores tabulae. Chriſtum pinxere ſcamnis inſidentem cibumque capientem cum diſcipulis: tecta aedium in Palaeſtina exhibuerunt acuminata; Chriſto tribuerunt praecatorias ſphaerulas. Exempla multa collegit Ioannes Molanus, in libro non plane invtili, ſed nugaci interdum nec ſcripto eleganter ſatis *f*). Neque fuerunt errores vilium quorundam operariorum. Immortales illi viri, quorum ingenia manumque omne aeuum admirabitur, Titianus, Paulus Veronenſis, Tintoretus, Sebaſtianus Riccius, Rembrandus, hanc reprehenſionem incurrunt *g*). Quis enim credat, Titianum, duo diſcipulos, in vico Emaus cum Chriſto coenantes veſtibus indutos, quas qui religionis, cauſſa peregrinantur inter pontificios geſtant, ſphaerulasque precatorias praeferentes, ſtragulas, quibus parietes ornati, Romana aquila inſignitas puerique cibum potumque miniſtrantis pileum criſtis decora-

d) T. III. tab. XIV.

e) Hiſt. Natur. XXXIII, 1.

f) *Hiſtoria SS. Imaginum*, adde Io. Fabricii *Hiſtor. ſacra contra nonnullos pictorum errores vindicata.* Altd. 1684. *Pictor errans in hiſtoria ſacra:* diſſ. Philippi Rohr. Lipſ. 1679. Io. Frieder. Iünger *de inanibus picturis* Lipſ. 1678. tum Paul Chriſt. Hilſcher *Errores Pictorum circa natiuitatem Chriſti.* Lipſ. 1689. *La Theologie des Peintres, Sculpteurs, Graveurs* et *Deſſinateurs*, par M. l'Abbè Mery. Paris 1765.

g) conf. ill. Hagedorn *Betrachtungen über die Malerey* p. 195. ſq.

decoratum exhibuiſſe? Haec tamen Venetiis tabula exſtat *b*). Sed de his nolumus plura addere, aut collecta ab aliis repetere. Huius vero generis errorem offert oculis noſtris ea quoque, quae diſputandi occaſionem praebuit, pictura. Nihil enim Iudaeae in ea conuenit, nihil Dauidi, omnia conueniunt Byzantino Imperatori. Nos ſingulas partes conſiderabimus.

Ad ſceptrum quod attinet, videmus eſſe ſcipionem. Duplex ſceptrum habuerunt Imperatores Conſtantinopolitani, crucem et virgam *i*). Nam retinuit ſceptrum primam et antiquiſſimam baculi, virgae, ſcipionis, quibus ſummam poteſtatem indicari cupiebant veteres populi *k*), formam. Imponebantur vero huic ſcipioni varia ornamenta. Inſidebat ſaepe baculo aquilas *l*): alii praeferebant columbam, alii ciconiam: alii roſam *m*). Media aetas frequenter ornauit ſceptrum lilio, atque haec ſceptra in numis conſpiciuntur non paucis, etiam Germaniae Imperatorum, Friderici II. Ottonum, aliorum *n*). Cur lilium impoſuerint, nolumus curioſius quaerere: ſitne ſpei, an fragilitatis humanae imago. Nota eſt controuerſia de re non

 maximi

b) v. Keyſsleri *Reiſen.* T. I. p. 43.

i) v. Goar ad Codinum *de Offic. Conſtantin.* p. 88.

k) cf. Petr. Fabri *Semeſtr.* I. p. 187. et Salmaſ. ad Vopiſci Aurel. 13.

l) Iunen. *Sat.* X, 43.

m) vid. Chriſtian. Godofred. Hofmannum *de origine* et *iure ſceptorum.* p. 10.

n) v. Chriſt. Schlegelium *in Apotelesm. de numis Abbatum Hersfeldenſium* p. 37. et 85.

maximi momenti inter Chiffletium et Triſtanum agitata. Plures populi ſceptris regum ſuorum lilium addidere *o*), nec reſpexere fortaſſe quidquam aliud, quam floris amoenitatem. Vnde etiam Prudentius Sapientiae tale ſceptrum tribuit *p*):

In manibus dominae ſceptrum non arte politum,
Sed ligno viuum viridi eſt, quod ſtirpe reciſum,
Quamuis nullus alat terreni ceſpitis humor,
Fronde tamen viret incolumi: tum ſanguine tinctis
Intertexa roſis candentia lilia miſcet,
Neſcia marcenti florem ſubmittere collo.

Quis hic myſterii quidquam latere putet? Lilii formam referebant candelabra, epiſtylia, alia, pulchritudinis cauſa et elegantiae *q*).

Caput regis ambit circulus, qui dicitur nimbus, quem hoc loco Montefalconium fere ſilentio praeteriiſſe miror. Sed alio loco copioſius de illo agit. Nos duo tantum attingemus. Primum male de origine nimbi exiſtimat Scaliger *r*), cuius ſententiam multi ſecuti fuerunt. Statuarum enim inquit capitibus ab antiquis lunulas additas fuiſſe, ne foedarentur ſtercore auium: Chriſtianos, re non ſatis perſpecta, crediḍiſſe, honoris cauſa illas additas eſſe, atque hinc ſanctorum virorum imagines eiusmodi lunulis vel orbibus cinxiſſe. Quae ſane opinio non magis

gis

o) v. Io. Iac. Chiffletii *Lilium Francicum* cap. 12. p 86.

p) *Pſychomach.* v. 878.

q) v. Du Freſne *Conſtantinopol. chriſtiana.* L. III. p. 52. et *Gloſſarium med. et inf. Latin.* T. II. p. 300.

r) ad *Catalecta* p. 210.

gis probabili argumento firmari poteſt quam eorum ſententia, qui quarto ſeculo circulorum horum originem tribuunt. Nam notum eſt, radiata ſibi finxiſſe veteres capita deorum *s*), deorum diuino hoc ſplendore collucere putaſſe. Quare radiata illis capita dederunt, in monimentis, eorum honori et diuinati conſecratis. Sic Lucianus de Iunonis ſigno: *καὶ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἀκτῖνας φορέει t*). Nec iis eiusmodi lucidum circulum addidere in ſtatuis tantum, ſed, id quod Scaligeri opinioni quam maxime aduerſatur, in numis quoque, in picturis, in anaglyphis. Certe inter Herculanenſes picturas duas tabulas conſpicimus, in quibus numina apparent, quorum capita orbiculis radiantibus ornata ſunt *u*), quae tabulae occaſionem dederunt interpretibus, verboſas diſputationes amantibus, multa dicendi ſuper hac re. Non vero ſemper radii additi aut lucidus ſplendor expreſſus, ſed tanquam illorum indicium orbiculos circulares ſeu ſemicirculares exhibuere artifices. Inde multo frequentior vſus eſt horum circulorum, quam nimbi, numine claro collucentis. Cum igitur in numis aliisque monimentis, quibus neque ab auibus neque a coeli tempeſtate periculi quidquam eſſet, hi orbes appareant, quid niſi honorem ſignificant et diuinitatem? Nec deorum capitibus tantum nimbi addebantur, ſed, imperio delato ſummaque poteſtate ad vnius arbitrium, cum ambitio princi-

pum

s) v. Barthium ad *Claudian. IV. Conſul. Honor.* 27. Taubmannum ad *Virgil. Aen.* L. III. v. 148.

t) de *dea Syria* cap. 32. p. 478. *ed. Reitz.* adde Hemſterhuſium ad *Timonem.* cap. 51. p. 165.

u) v. *Le Pitture antiche d'Ercolano* T. II. tab. X. et tab. XVII.

pum ſibi diuinos honores et titulos arrogaret atque adulatio viliſſima ciuium lubenter illos tribueret, etiam hoc iis obtulerunt diuinitatis ſignum *x*). Adamauerunt inprimis nimbum Byzantini Imperatores, retinueruntque etiam eo tempore, quo Chriſtianam doctrinam profitebantur, non tanquam diuinitatis, ſed tanquam maieſtatis, cuius externam ſpeciem captabant auidiſſime, gemmis et vnionibus effuſis, nec iis tam ornatis veſtibus quam deformatis, indicium. Recte igitur ſcribit, quod, quia hoc pertinet, repetemus, Montfaucon *y*): „Nimbum videmus quoque in numis Iuſtini et Iuſtiniani, Mauricii item et Phocae, in aliisque poſteriorum temporum. In tabulis vero depictis clarius exhibetur. In familiis Byzantinis Cangi nimbus habetur in tabula depicta Eudociae, vxoris Baſilii Macedonis, filiorumque eius Alexandri et Leonis p. 139. nec non Romani Diogenis et Eudociae vxoris eius. Codex Graecus Bibliothecae D. Epiſcopi Metenſis Nicephorum Phocam exhibet nimbo ornatum, vt et vxorem eius Mariam. Vno verbo: Conſtantinopolitani Imperatores nimbo ſemper capita ſua exornarunt vsque ad captam vrbem per Mahometem II. a. 1453.„

Quid dicamus de iuuene, qui coronam regi imponit? Fateor profecto, Montefalconii opinionem paullo coactam mihi videri, nec ſe probabilitatis ſpecie ſatis commendare, praeſertim cum non recorder, Imperatores Conſtantinopolitanos ſibi ipſos impoſuiſſe coronare. Nam eam interdum ſenior Imperator collegae,

x) v. Keyſsleri *Antiquit. Septentrional.* p. 398. ſeq.

y) l. c. p. 21.

legae, quem adſciſcebat, et Patriarcha, interdum ſolus Patriarcha imponebat z). In anaglypho, quod triumphum M. Aurelii exhibet, Imperator ſedet in curru, et Victoria a tergo ſtans lauream coronam manu praefert, iamiam illius capiti imponendam a). Sed huc non pertinet hoc monimentum. In numo Imperatoris, Romani Diogenis b), virgo Maria capiti Imperatoris coronam imponit, atque in alio Iſaacii Angeli e nube manus exerta imponit coronam capiti Imperatoris c). Quid ſi Genius Imperatoris fortaſſe indicatur? Fauere videtur coniecturae ſeminuda iuuenis ſpecies caputque nimbo cinctum. Genio principum tribuebant omnia, quae proſpere euenirent et feliciter d), adeoque coronationis partes poterant illi dare. Nec haec ſuperſtitio illorum temporum opinioni aduerſari videtur. Nam ſententiae Graecorum et Romanorum de genio cuique homini tributo Chriſtianorum quoque animos ipſorumque doctorum, qui Patres appellantur, ſcripta occupauerunt e), id quod fortaſſe Philoſophiae Platonicae debetur, cui horum non pauci plurimum tribuebant. Sed mittamus hoc.

§. III.

z) v. Codinum *de offic. Conſtantin.* c. XVII. p. 123.

a) v. Montfaucon *Antiqu. Expliqu.* T. IV. p. 103.

b) v. du Fresne *Famil. Auguſt. Byzantin.* p. 159.

c) Ibid. p. 201.

d) v. Ever. Ottonem *de periurio per genium principis* cap. 2. §. 2.

e) vid. Huetium in Origenianis L. II. §. 18. ſeq. Suicerum in Theſaur. Eccleſiaſt. voc. ἄγγελος.

§. III.

Ad rem ipſam progredimur. Ea de cauſa picturam, a Montefalconio exhibitam, quae conſideretur, dignam cenſemus, quia caerimoniam offert principum inaugurandorum ſingularem. Quae licet ab aliquot populis frequentata fuerit, tamen hoc vno in monimento oculis ſubiicitur. Exhibet vero inaugurationem principis eam, quae fiebat, illo aut ſtante aut ſedente in clypeo, quem ſuſtentabant interdum nonnulli, interdum circumferebant, acclamantibus reliquis fauſtisque votis et acclamationibus proſequentibus principem. Cuius caerimoniae hanc vim eſſe voluerunt, vt oſtenderent leuatum in altum principem vniuerſo populo eique ſummam rerum poteſtatem tribui declararent. Non vno a populo neque vno eodemque modo ab iis, qui hanc caerimoniam inaugurandorum principum tenerent, populis hoc agebatur. Diuerſitatem quandam apud diuerſas gentes animaduertimus. Quare quae cuiusque propria fuerunt, recenſebimus.

§. IV.

Initium faciamus ab aula Conſtantinopolitana, non quaſi antiquiſſima huius ritus veſtigia hic inueniamus, ſed quia frequentiſſimam illius mentionem fieri videmus. Nam Byzantinos Imperatores ſcuto impoſitos, leuatosque eſſe conſtat. Omnem huius caerimoniae rationem deſcribit Codinus *f*). Poſteaquam enim narrauit, Imperatorem publico teſtimonio profeſſum eſſe ſuam de doctrina Chriſtiana veritate perſuaſionem, ingreſſumque auguſtiorem et ampliorem Patriarchii aulam, quae Θωμαΐτης appella-

f) *de offic. Conſtantinop.* c. XVI. p. 121.

pellabatur, ita pergit: Ἐπειτα δὲ τοῦτο ὁ Βασιλεὺς ἐπὶ σκουταρίου καθεσθεὶς ἐπαίρεται εἰς ὕψος καὶ φαίνεται πᾶσι τοῖς κάτωθεν ἱσταμένοις πλήθεσιν. κατέχουσι δὲ τὰ μὲν ἔμπροσθεν τῆς ἀσπίδος αὐτός τε ὁ Βασιλεὺς καὶ πατὴρ ἀναγορευομένου, ἐὰν ζῶν ᾖ (al. ἦν) καὶ ὁ Πατριάρχης. Τὰ δὲ ἐκ πλαγίων καὶ ὄπισθεν οἱ ἐν ἀξιώμασι ὑπερέχοντες, ἤγουν Δεσπόται καὶ Σεβαστοκράτορες, ἐὰν ὦσιν· εἰ δὲ μὴ, οἱ κρείττονες καὶ εὐγενέστεροι τῶν ἀρχόντων· εἰ δ' οὐκ ἐστὶ πατὴρ, τὰ μὲν τῆς ἀσπίδος ἔμπροσθεν ὁ ἐντιμότερος τῶν ἀξιωματικῶν, ἢ τῶν ἀρχόντων μέτα τοῦ Πατριάρχου· (al. ἢ τῶν ἀρχ. τοῦ Πατριάρχου ὄντων μετ' αὐτοῦ) τὰ δὲ γε ὄπισθεν, οὓς εἴπομεν. Ἐπευφημήσαντος δὲ τοῦ λαοῦ καὶ φοσσάτου παντὸς, κατέρχεται μὲν ἀπὸ τοῦ σκουταρίου, ἄγεται δὲ εἰς τὸν τῆς ἁγίας Σοφίας ναὸν, ὅπου δεῖ αὐτὸν στεφθήσεσθαι. *Posthac nouus Imperator in scuto sessitans, tollitur in altum, et ab vniuersa multitudine infra stante conspicitur. Tenent vero priores partes clypei Imperator parensque renunciati, si adhuc sit in viuis et Patriarcha. partes a latere et retro tenent, qui dignitate praecipua excellunt videlicet Despotae et Sebastocratores, si fuerint. Sin minus, munus hoc obeunt praestantiores et nobiliores ex proceribus. Si non superest noui Imperatoris pater, anteriores partes clypei tenet excellentior ex illis, qui in dignitate sunt aut aliquis ex proceribus cum Patriarcha* (al. *aut aliquis ex proceribus Patriarchae, qui sunt cum eo*) *partes posteriores tenent, quos iam antea commemorauimus. Populo et vniuerso exercitu faustis acclamationibus personante descendit de scuto, duciturque ad sanctae Sophiae templum, in quo coronandus est.* Locus sane hic luculentus est, quique nos mirifice iuuat. Videmus nouum Imperatorem ante coronationem in scuto sedentem leuari. Scutum tenent viri emi-

 nen-

nentiſſimae dignitatis; Imperator ipſe, Patriarcha, tum Δεσπόται et Σεβαστοκράτορες. Ille titulus, primum Imperatoris Byzantini proprius, deinde dabatur affinibus Imperatorum proximaque neceſſitudine cum iis coniunctis, atque etiam interdum praecipuis proceribus *g*): hic, ab Alexio Comneno fratri primum tributus, dignitatem indicabat non exiguam *h*). Populus fauſtis acclamationibus ſublatum Imperatorem excipit. Quo facto ſcuto deſcendit ille corona cingendus. Fauſtarum illarum acclamationum formulas conſeruauere veteres ſcriptores *i*): *Dii te ſeruent! Auguſte Conſtantine, Deus te nobis ſeruet! veſtra ſalus, noſtra ſalus: vere dicimus, iurati dicimus. Gordianum Caeſarem omnes rogamus, Iupiter optime maxime Macrino et Antonino vitam: Antoninum habemus: omnia habemus: Antoninum nobis dii dederunt Patrem: Antoninus dignus imperio!* Et quis enumeret omnes formulas, quas laetitia, amor, admiratio animis hominum expreſſit? Graecae acclamationis formulam memini me legere illam: Ἀλεξίου καὶ Ἀνδρονίκου μεγάλων Βασιλέων καὶ αὐτοκρατόρων Ῥωμαίων τῶν Κομνηνῶν πολλὰ τὰ ἔτη *k*).

Non praetereundum eſt hoc loco, quod video etiam a Iacobo Pontano notatum eſſe, Codinum maximam partem illius capitis de coronatione Imperatoris ſumſiſſe, verbis quoque non paucis

g) v. du Freſne notas ad *Ioannis Cinnami hiſtor.* p. 468.

h) v. Iac. Goar ad Codin. *de off. Conſtant.* p. 21.

i) v. Barnab. Briſſonium de *Formul. et ſolennibus. P. R. verbis* L. IV. Sect. 30. et Iacob Pontanum *ad Cantacuzen.* L. I. p. 992.

k) v. Nicetae Choniatae *Imperium Alexii Comneni* cap. 18. p. 174.

paucis repetitis, e Ioannis Cantacuzeni Hiſtoria. Hic enim ſcriptor iunioris Andronici coronationem copioſiſſime deſcripſit. Vnde, quae ad noſtrum argumentum pertinent, excerpemus *l*): Περὶ δευτέραν ὥραν μάλιϛα τῆς ἀυτῆς ἡμέρας, τȣ̃ μέλλοντος χρισθήσεσθαι βασιλέως ἐπὶ ἀσπίδος καθεσθέντος, ὁ βασιλεὺς καὶ πατὴρ τοῦ ἀιαγορευομένȣ, ἔιγε περίεσι, καὶ ὁ πατριάρχης, τῶν ἔμπροσθεν μερῶν ἐπιλαμβανόμενοι τῆς ἀσπίδος, τῶν δ' ἐπιλοίπων ὁι ἐν ἀξιώμασιν ὑπερέχοντες δεσπόται τε καὶ Σεβασοκράτορες, ἔιπερ ἐισὶν, ἢ δε ἐπιφανέϛατοι μάλιϛα τῶν συγκλητικῶν καὶ μετεωρίσαντε, ὡς ἔνι μάλιϛα ἀυτὸν ἅμα τῇ ἀσπίδι, τοῖς πλήθεσιν ἐπιδεικνύουσι τὸν βασιλέα πάντοθεν περιεϛαμένοις, ἐπευφημησάντων δὲ ἀυτῶν, καταθέντες, ἄγȣσιν ἐις τὸν ναὸν, ἔνθα δεῖ τὴν τελετὴν γενέσθαι. *Sub horam porro diei maxime ſecundam imperatore inungendo ſuper ſcutum eleuato, imperator parens renuntiati imperatoris, ſi ſupereſt, et Patriarcha, anteriora ſcuti apprehendentes, latera autem et poſteriora, qui dignitate antiſtant, deſpotae et ſebaſtocratores, ſi ſunt, alioqui principum nobiliſſimi, ipſumque cum ſcuto in altum, quantum poſſunt, tollentes, vndique circumfuſo populo oſtentant. Poſt fauſtam ac laetam acclamationem eum doponunt atque in templum, in quo ſolenni ritu coronandus eſt, deducunt.* Mire in omnibus conſpirant conueniuntque hi ſcriptores, quorum e verbis tota caerimonia, quomodo more legeque inſtituta fuerit, cognoſcitur.

Neque ſolum narratur, quomodo haec res fieri debeat, ſed eam quoque factam fuiſſe eo, quem commemorauere ſcriptores, modo, certis auctorum teſtimoniis deprehendimus. Huc

 perti-

l) Cantacuzeni *Hiſtor.* Lib. I. cap. 41. p. 121.

pertinet Georgii Pachymeris narratio, quomodo Palaeologus collega pueri Imperatoris declaratus sit *m*). Nam posteaquam proceres fidei sacramentum fecisse narrauit, pergit: καὶ οὕτω τελεσθέντων τῶν ὅρκων, ἀσπίδι βασιλικῇ ἐνιζάνει ὁ εἰς τὴν βασιλείαν ἑτοιμαζόμενος. πρῶτον τὼ πόδε τοῖς βασιλικοῖς συμβόλοις ἐναρμοσθεὶς καὶ χερσὶν, ἔνθεν δὲ μεγιστάνων ἀρθεὶς ἀνακτορικοῖς παιᾶσι καὶ κρότοις παρὰ πάντων ἐμεγαλύνετο τε καὶ ἐφημίζετο. *Sic consummata iuramentorum caerimonia designatus Princeps scuto regio insedit, vtroque prius pede imperatoris insignibus ornato; et manibus hinc quidem Antistitum, inde optimatum sublatus acclamationibus et plausu, quibus excipi noui Imperatores solent, ab vniuersis salutatus et Augustus declaratus est.* Quo in loco animum aduertit appellatio ἀσπίδος βασιλικῆς. Credo, fuisse inter reliqua κειμήλια clypeum quoque singularem, ornatum egregie, et splendide, quo vtebantur in coronando Imperatore. Praeterea discimus hinc, Antistites quoque clypeum, quo Imperator tollebatur, tenuisse. Paucis tantummodo verbis dicit Georgius Acropolita *n*) Theodorum (Lascarim) iisdem caerimoniis inauguratum esse. Nam non opus erat, vt de re satis tum nota multa diceret. Τὴν νενομισμένην γοῦν ὁσίαν ἀποδοὺς τῷ βασιλεῖ καὶ πατρὶ καὶ καθεσθεὶς ἐπ' ἀσπίδος ὡς ἔθος, καὶ ὑπὸ πάντων φημισθεὶς αὐτοκράτωρ. *Iustis Imperatori et fratri, vti fieri solet, factis et super scutum assidens, vti moris est, ac omnibus Imperator acclamatur.* Idem de eodem Nicephorus Gregoras memoriae prodidit *o*): ἀνηγορεύετο δ' ὕστε-

m) v. Pachymeris *Histor.* L. II. cap. 4. p 61.

n) Acropolitae *Histor.* c. 53. p. 57.

o) v. Nicephori *Histor. Byzantin.* L. III. cap. 2. p. 31.

δ' ὕϛερον παρ' ἑκόντων τῶν ὑπηκόων ἁπάντων, καθεσθεὶς ἐπὶ ἀσπίδος κατὰ τὸ ἐν αὐτοῖς ἐπικρατοῦν ἔθος. Poſt eius obitum autem totius populi ſuffragiis creatus eſt, in clypeo ſedens more tum vſitato, quem ad locum in notis recte obſeruat I. Boiuin *p*), verti rectius debere: *more in his vel hac in re vſitato.* Nec ille aliter de Michaele Palaeologo *q*); *ἐπὶ τῆς ἀσπίδος ἐνταῦθα περὶ τὴν Μαγνησίαν καθίσαντες Μιχαὴλ τὸν Παλαιολόγον ἀναγορεύουσι βασιλέα οἱ δόξῃ καὶ γένει προύχοντες. Viri auctoritate et nobilitate praeſtantes circa Magneſiam clypeo imponunt Michaelem Palaeologum et Imperatorem appellant.*

Quae commemorauimus exempla, ea exhibent inaugurationem Imperatorum legitimam, hoc ritu celebratam. Sed hanc caerimoniam milites etiam ſeditioſos populumque turbulentum adhibuiſſe relatum legimus. Nam quibus ſummam poteſtatem deferre aut in caſtris aut in vrbe cupidus nouarum rerum populus exercitusque geſtiebat, eos quoque clypeo impoſitos ſalutabat Imperatores maximisque clamoribus excipiebat. Hoc in magna ſeditione Conſtantinopolitana ſub Iuſtiniano accidiſſe legimus. Zonaras enim narrat: populum Hypatium in Magni Conſtantini forum duxiſſe atque clypeo alte ſublatum Imperatorem conſalutaſſe *r*). Ἐντεῦθεν εἰς τὴν Ἀγορὰν διαθέοντες ἕτερον Βασιλέα ἑαυτοῖς ἐβουλεύσαντο προχειρίσασθαι, καὶ τινα συγγενῆ τοῦ Βασιλέως Ἀναςασίου περισχόντες, Ὑπάτιον, πῇ μὲν ἄκοντα, πῇ δὲ καὶ πεπεισμέ-

p) p. 750.

q) L. IV. cap. I. p. 45.

r) v. Zonarae *Annales* l. XIV. cap. VI. p. 62.

πεισμένον εἰς τὸν τοῦ μεγάλου Κωνσαντίνου φόρον ἀπάγουσι καὶ ἐπὶ ἀσπίδος αὐτὸς μετάρσιον ἄραντες ἀναγορεύουσι Βασιλέα. Sic milites Germanum, cui Edeſſenorum principatus erat commiſſus, ſub Mauritio ſeditioſi, inuitum renitentemque clypeis ſublatum ducem appellant *s*): ὁ δὲ στρατὸς — τὸν Γερμανὸν ἄκοντα στρατηγὸν ἀνηγόρευσεν ἐπὶ ἀσπίδος ὑψώσαντες. Nec alio modo in Phoca eligendo ſe geſſiſſe milites turbulentos idem Theophanes commemorat *t*): τὰ πλήθη συναθροισθέντα προβάλλονται Ἔξαρχον Φωκᾶν τὸν κένταρχον, καὶ ἐπὶ ἀσπίδα τοῦτον ὑψώσαντες εὐφήμησαν Ἔξαρχον. Quocum conſentit, qui Phocam ſcuto alte ſublatum gratulationibus proſecutos eſſe milites etiam narrat, Theophylactus Simocatta *u*): ἑτέραν δὲ καὶ τῇ ἐς ὕστερον ἐκκλησίαν πεποιηκότα τὰ πλήθη, ἔξαρχον τὸν ἑκατόνταρχον Φοκᾶν προεστήσαντο· ἐπὶ ασπίδος τε εἰς ὕψος ἐξάραντες, εὐφήμουν ἐκτόπως τὴν ἀναγόρευσιν.

§. V.

Luculentas attulimus Graecum ſcriptorum de hoc ritu narrationes. quem dicunt viri docti Romanis quoque cognitum et vſurpatum fuiſſe. Equidem non memini, cuiquam Occidentis Imperatorum hoc ritu imperium delatum eſſe. Nec recordor, exſtare quidquam apud veteres ſcriptores, vnde coniectura naſci poſſit, clypeo leuatos inauguraſſe Imperatores Romanum populum. In Iulio Capitolino tamen huius ritus veſtigia ſibi reperiſſe viſus

s) v. Theophanis *Chronographia* p. 220.

t) v. Theophan. p. 241.

u) v. Theophylact. *Hiſtor.* L. VIII. c. 7. p. 205.

fus eft inprimis P. Pithoeus *x*). Verba hiftorici haec funt: *Inter haec Gordianus Caefar fublatus a militibus Imperator eft appellatus, id eft Auguftus y*), et alio loco: *His actis propere ventum eft ad oppidum Tysdrum inuentusque fenex venerabilis poft iurisdictionem iacens in lectulo; qui circumfufus purpura humi fe abiecit ac retrectans eleuatus eft z*). Haec ille verba *fublatus* atque *eleuatus* ita interpretatur, vt eum fcuto impofitum fuiffe dicat. Cui fententiae quo minus affentiar variae prohibent caufae. Primum nullo alio teftimonio cognitum habeo, hunc ritum eo tempore Romanos adhibuiffe: tum ipfa illa verba de quacunque eleuatione intelligi poffunt. Neque enim clypei fcutiue mentio fit. Immo vix haec verba illum omiffurum fuiffe probabile eft, modo res ipfa poftulaffet illa. Denique haec fiebant non quiete et tranquille, fed a militibus turbulentis, qui non tam ritum traditum obferuaffe, quam quidquid in mentem veniret, egiffe videntur. Reuocant, qui aliter fentiunt, huc plerique verfum Claudiani *a*)

— *cum folita miles te voce leuaffet,*

atque poetam de fublato in clypeum Honorio locutum effe putant. Sed multo rectius fentit Cafp. Barthius *b*), haec interpretatus

x) v. Pithoei *Aduerf. fubf.* L. II. cap. 7. p. 419. in *Oper. Sacr. Iurid. Hift. Mifcell.* Paris. 1609.

y) in *Maxim. et Balbin.* p. 305.

z) in *Gordian.* p. 277.

a) *in IV. Conf. Honor.* 174.

b) in *Commentar. ad Claudianum* p. 597.

tatus ſic: *Cum te Auguſtum proclamatum ſalutaſſet. Non enim de alia leuatione videtur loqui Claudianus, quam qua in Auguſtum eleuatus eſt Honorius. Nam ea vſurpatio ſolemnis iſtius verbi.* Id quod oſtendit exemplis auctorum quorundam, qui dicunt, *leuatus eſt Imperator, leuauit ſe Eugenius tyrannus,* neque tamen ad iſtum, de quo nos loquimur, ritum reſpiciunt. Nec, credo, facile quisquam aſſentietur Ioanni Sartorio *c*), qui, cum in eadem ſententia ſit, huc quoque trahit verſum Vigilii *d*),

Socii multo gemitu lacrimisue
Impoſitum ſcuto referunt Pallanta frequentes,

vnicumque dicit hunc honorem fuiſſe ducum. Immo nunquam credo fuiſſe hunc ſingularem ritum, aut cuiusdam dignitatis proprium, ſed poetam in carmine narraſſe ea, quae in praeliis fieri ſolent, vbi omni modo conſulunt vulneratis milites. Certe apud Lacedaemonios matres clypeum dabant filiis bellum imituris dicebantque, ἢ ταύτην ἢ ἐπὶ ταύτην *e*). Atque poetae non raro referri fingunt e pugna vulneratos in clypeo *f*). Quae cum ita ſint, Iulii Capitolini verba ſic intelligo, vt potius leuationem per manus indicari exiſtimem. Nam manibus eleuatos fuiſſe Romanos Imperatores oſtendi poteſt idoneis argumentis. Huc pertinet locus Lampridii de Alexandro Seuero *g*): *Poſt hoc cum ingenti gloria et comitante ſenatu, equeſtri ordine, atque omni*

c) Io. Sartor. de *Clypeo* p. 27.

d) Aen. XV, 505.

e) v. Meurſii *Miſcell. Lacon.* L. II. c. 2. p. 97.

f) v. Columnam ad *Ennium* p. 242.

g) in *Alexandr. Seuer.* p. 245.

omni populo circumfusisque vndique mulieribus et infantibus, maxime militum coniugibus, pedes Palatium conscendit: cum retro currus triumphalis a quatuor elephantis traheretur. Leuabatur manibus Alexander vixque illi per horas quatuor ambulare permissum est, vndique omnibus clamantibus: Salua Roma, quia saluus Alexander. Paullo post locum Taciti afferemus, quem nobis, hunc ritum plane incognitum fuisse Romae, existimantibus, fauere putamus.

§. VI.

Recenseamus alios populos, qui hoc inaugurandorum ritu vsi fuerunt. Primi occurrunt *Gothi.* Vitigis rex, declarans, vbi et quomodo fuerit electus, inquit *h*): *Auctori nostro gratias humillima satisfactione referentes, iudicamus parentes nostros Gothos inter procinctuales gladios more maiorum scuto supposito i*) *regalem nobis contulisse praestante Deo dignitatem.* Sequuntur *Caninefates.* Ii eas regiones, quas hodie Bataui, tenuerunt *k*). De his Tacitus *l*): *Erat in Caninefatibus stolidae audaciae Brinio, claritate natalium insigni: pater eius multa hostilia ausus, Caianarum expeditionum ludibrium impune spreuerat. Igitur ipso rebellis familiae nomine placuit, impositusque scuto, more*

h) v. Cassiodori *Variar.* L.X. 31. p.351.

i) Sic puto legendum. editio, qua vtor, Geneuensis, a.1650. vitiose exhibet *scutorum.*

k) v. Althameri *Commentar. German.* p. 394. Cellarii *Notit. orbis Antiqu.* T. I. p. 355.

l) *Histor.* L. IV. c. 14.

gentis, et ſuſtinentium humeris vibratus dux deligitur. Non negligenda ſunt verba: *more gentis*, nec neglexit ea vir olim acutiſſimus, Iuſtus Lipſius *m*). Clare enim indicare videntur, eo tempore hunc morem Romanis ignotum fuiſſe. Nam cur morem hunc illius gentis proprium eſſe dixiſſet Tacitus, ſi Romani adhibuiſſent eundem, praeſertim in ea narrationis breuitate, quam Tacitus nunquam non amat? Hunc ſcriptorem, qui nullum verbum, cui non certa vis ſubeſſet, poſuit, non probabile eſt, hoc loco ab ingenio ſuo diſceſſiſſe. Credo hoc daturum mihi eſſe quemuis, qui Tacitum legerit, aut vt rectius dicam, qui praeſtantiſſimum hiſtoricum ita legerit, vt exemplum prudentiae illud legi debet. *Gallia* quoque antiqua huc referenda eſt. Nam miles ſic egit cum Iuliano, quem in Gallia fecit Auguſtum. *Conclamabatur poſthac ex omni parte, nihilominus vno parique nitentibus vniuerſis, maximoque contentionis fragore, probro et conuitiis mixto Caeſar aſſentire coactus eſt. Impoſitusque ſcuto pedeſtri et ſublatius eminens, populo ſilente Auguſtus renunciatus n*). Nec aliter de hac re Zoſimus *o*). Ἐπὶ τινὸς ἀσπίδος μετέωρον ἄραντες, ἀνεῖπον σεβαστὸν αὐτοκράτορα. Quartum locum *Francis* dabimus. De quibus iam ſcripturo mihi, quae mihi ex hiſtoriarum monimentis cognita ſunt, ecce! affertur a viro eruditiſſimo et mihi multas ob cauſſas chariſſimo, Bidermanno, libellus Chriſtiani Gottlieb Schwarzii, Altdorfini olim Pro-

m) in notis ad Tacit. p. 398.

n) v. Ammian. Marcell. L. XX. c. 4. p. 194. edit. Lugdun. 1591.

o) v. Zoſimi *Hiſtor.* L. III. c. 9.

Profeſſoris *p*). In eo equidem, inuitus, fateor, (nam praeter exſpectationem opinionemque omnem hoc accidit) non ſolum picturam a Montefalconio datam conſpicio, ſed ipſe quoque ſe narrat *de antiquo ritu eleuandi principes inaugurandos* a. 1730. libellum Academicum ſcripſiſſe. Non huius libelli quisquam mihi in hac vrbe copiam facere potuit, ideoque, quid ab illo dictum allatumque ſit, ignoro. Neque tamen, quae ſcripſi, delere volui, cum non vano augurio ductus ſuſpicer, alio virum doctum modo hoc argumentum tractaſſe, ſperemque arbitros aequos noſtro libello poſt Schwarzianam quoque operam aliquem locum inter libros non plane inutiles daturos eſſe. Quare pergamus. Quod igitur ad Francos attinet, exſtat apud Gregorium Turonenſem locus de Chlodoueo, qui poſteaquam populo conuocato dixerat *q*): *Conſilium vobis praebeo, ſi videtur acceptum, conuertimini ad me, vt ſub mea ſitis defenſione*, quid tum accidit? *At illi iſta audientes, plaudentes tam parmis quam vocibus eum clypeo euectum ſuper ſe regem conſtituunt.* Clypeos pulſare ſolebant Galli praelium ineuntes *r*) atque etiam ab aliis populis alias ob cauſas ſcuta haſtis alliſa fuiſſe veteres ſcriptores memoriae prodiderunt *s*). Idem narrat Gregorius de Sigeber-

 to I.

p) *Erläuterung des Academiſchen Problematis von der H. Röm. Reichs Erz-Schild-Herrn-Amt* (Alt. 1739.) p. 6. ſeq.

q) *Hiſtor. Francor.* L. II. c. 40. p. 97. edit. Ruinart.

r) v. *Diodor. Sic.* L. V. p. 352. adde Stephanium ad *Saxonem Grammat.* p. 238.

s) eorum loca collegit Spanhemius ad *Callimach. H. in Del.* v. 36.

to I. *t*): *Veniente autem illo ad villam, cui nomen eſt Victoriacum, collectus eſt ad eum omnis exercitus impoſitumque ſuper clypeo regem ſibi ſtatuunt.* Denique de Gundoualdo memoriae prodidit *u*): *Morabatur tunc Mummolus infra muros Auennicae vrbis cum Gundoualdo — qui coniunctus cum ſupradictis Ducibus Lemouicinum accedens Briuam — Curretium vicum — aduenit: ibique parmae ſuperpoſitus rex eſt leuatus. Sed cum tertio cum eodem gyrarent cecidiſſe fertur, ita, vt vix manibus circumſtantium ſuſtinert potuiſſet.* Haec verba Gregorii, inprimis ea, quae ad intelligendum lapſum Gundoualdi ſpectant, illuſtrant verba Aimonii, Monachi Floriacenſis *x*): *Euocatum Gundoualdum, more antiquorum Francorum, regem proclamantes eſſe ſuum, eleuauerunt ſuper clypeum. Cumque tertio totum cum eo circumiſſent exercitum clypeus repente ruens cum rege vix a terra eleuari potuit.* Hinc diſcimus, non ſolum clypeo impoſuiſſe Francos principem nouum, ſed circumgeſtaſſe eum quoque. Immo forte ipſe ſtetit in clypeo, non ſedit, ideoque facilius accidit, de quo loquuntur hiſtorici, caſus. Atque ſtetiſſe interdum in clypeo principem, praeter picturae noſtrae non planae contemnendam auctoritatem, indicare etiam videtur *ſcutum pedeſtre*, cui impoſitum fuiſſe Iulianum Ammianus narrat. Nam equeſtri multo latius erat ſcutum pedeſtre.

Deni-

t) L.IV. cap.52. p.194.

u) L.VII. cap.10. p 338.

x) v. Aimonii *Hiſtor. Francor.* L.III. c.62. p.76. in Pithoei Hiſt. Francor. ſcriptor. T.III.

Denique *Chazaris*, genti Bulgariae, hunc morem cognitum fuiſſe docet locus Conſtantini Porphyrogeniti, vbi narrat Arpadem a Turcis principem electum fuiſſe *y*). Ὃν καὶ ἄρχοντα κατὰ τὸ τῶν χαζάρων ἔθος καὶ ζάκανον πεποιήκασι σικώσαντες αὐτὸν εἰς σκουτάριον. *Quem etiam ſolenni Chazarorum more ac conſuetudine in ſcuto erectum principem fecerunt.* Quo loco Ζάκανον, vocem Illyricam ſeu Slauam conſuetudinem et legem ſignificare docet Anſelmus Bandurius *z*). Σικόννειν vero, σικώνειν, σηκώνειν, σηκοῦν, quod apud Scholiaſten Homeri occurrit quoque, ἐπαείρας, ἐπάρας, σηκώσας *a*), indicat: *Subleuare, erigere, tollere b*).

§. VII.

Supereſt, vt quaedam addamus de origine huius caerimoniae natalibusque ritus. Quos eſſe repetendos a gentibus, quae armis deditae eſſent, in armis omnia ponerent, nec fere ſine armis quidquam agerent, patet. Inde credo a Gothis, antiquis Galliae incolis et Francis maxime eum ritum frequentatum fuiſſe. Quantum enim Franci inprimis tribuerint armis, et quam lubenter iis tanquam inſtrumentis rei vniuerſae publicae vſi ſint, inde quoque apparet quia ſcutum et haſtam habebant ſignum poteſtatis *c*). *Rex*, inquit Gregorius Turonenſis *d*), *Guntchrammus data*

y) *de adminiſtrand. imper.* c. 38. p. 208.

z) Animaduerſ. ad Conſtant. in *Imper. Oriental.* T. II. p. 124.

a) v. Meurſii *Gloſſarium Graeco-Barbar.* p. 499.

b) v. du Freſne *Gloſſar. Med. et Inf. Graecitat.* T. III. p. 1368.

c) Io. Georg. Eckhart *Rerum Francicar.* L. IX. p. 108.

d) *Hiſt. Franc.* L. VII. c. 33. p. 338.

data in manu regis Childeberti hasta ait hoc est indicium, quod tibi omne regnum tradidi. Nam hasta regiae maiestatis insigne erat *e*). De clypeo vero exstat locus memorabilis Ottonis Frisingensis *f*). *Est autem consuetudinis Regum Francorum, quae et Theutonum, vt quotiescunque ad sumendam imperii coronam militem ad transalpinandum coegerint, in praedicto campo mansionem faciant. Ibi ligno in altum porrecto scutum suspenditur g*). Picturam quoque in qua scutum alte supra solium sedentis ducis affixum depingitur vir doctus commemorat. Quae quum ita essent, non poterant non isti populi clypeum dignum rege suo solium existimare, cui cum imponerent illum, ea in sede collocare videbantur sibi principem, qua nulla illustrior esset. In numis Romanorum Roma ipsa clypeis et armis non raro insidet. Numus familiae, Caeciliae exhibet Romam, alii Honorem esse arbitrantur, tribus clypeis insidentem, hastam ferentem dextra et a Victoria a tergo stante coronatam *h*). In numo gentis Pobliciae Roma etiam tribus clypeis insidet, dextra hastam tenens, sinistra parazonium, coronata a Victoria *i*). In numo Titi duobus clypeis eadem insidet *k*); in numo Traiani Victoria super clypeo stans conspicitur *l*), et in numo gentis Mussidiae apparet Mars, nudus,

e) v. Chiffletii *Anastasis Childerici Regis* p. 107.

f) *de Gest. Frider. Imp.* L. I. c. 12.

g) v. Gottfr. Wendelini *Leges Salicae illustratae* p. 186.

h) Vaillant *Thes. Num. Fam.* T. I. p. 196.

i) v. T. II. *Thesaur. Morell.* p. 331.

k) v. Vaillant *Numism. Imp. Rom. praet.* T. II. p. 104.

l) v. Rubenii *Numism. Arschotan.* tab. 35.

nudus, galeatus, dextra haſtam puram, ſiniſtra flagellum tenens, et pede ſiniſtro clypeum calcans *m*). Hunc vero, de quo locuti ſumus, ritum in nullo Romano numo contemplamur. Nam, vt iam diximus, ignorauere illum Romani. Sed mirum videri poteſt, quomodo factum ſit, vt Imperatores Byzantini, qui hoc ritu inaugurabantur, nunquam illius imaginem in numis exhibuerint. Hi vero vt oſtenderent, ſe a ſolo deo ſupremam auctoritatem nactos, pingi fingique ſe curabant coronatos a Chriſto *n*), qui illis coronam crucemue tradit. Saepius diadema quoque eorum capiti imponit virgo deipara. Huc, praeter numos ſupra commemoratos (p. 9.), pertinent numi Michaelis Ducae, Ioannis, Manuelis *o*). Quod igitur nullo in numo, nullo in anaglypho apparet, hoc exhibet pictura, quae ſaepiſſime hiſtoriae noſtrae lucem affundit. *Inde*, vtar enim verbis, quae huc pertinent, viri doctiſſimi *p*), *colligent viri eruditi, quantum ex eiusmodi, quae in veteribus codicibus paſſim reperiuntur, figuris et quae in aedium ſacrarum veſtibulis aut alibi proſtant, ſtatuis hiſtoriae noſtrae commodi ac luminis acceſſurum ſit, ſi eas ſtudioſe aere incidi curent, cum ob oculos nobis perſaepe proponant, quae legendo apud ſcriptures vix percipiuntur.*

COROL-

m) v. Oiſelii *Theſaur. Numiſm. antiqu.* tab. 39.

n) v. Du Freſne *de Inferioris aeui Numiſm.* Diſſ. c. 29. p. 23.

o) v. Begeri *Theſaur. Brandenburg.* T. II. p. 865. 867 868.

p) Du Freſne *Gloſſar. Med. et inf. Latin.* ſ. v. *Armigeri* T. I. p. 332.

COROLLARIA.

I. Qui Homerum putant belli Troiani hiſtoriam in Iliade enarrare voluiſſe, errant.

II. Homerus inter philoſophos omnis aeui optimos locum tenet praeclarum.

III. Maiora et plura poetici ingenii veſtigia in Georgicis quam in Aeneide obſeruamus.

IV. Parum conſulunt Homerici ingenii honori parumque ſe aptos carminum iudices oſtendunt, qui ſententiolis duabus Iliados et Odyſſeae argumentum totum tanquam fundamento niti putant.

V. Eloquentiae cum Graecae tum Romanae locus nullus eſt nec poteſt eſſe niſi in libero populo: quique caret libertate fruſtra de eloquentiae principatu contendet cum Demoſthene et Cicerone, populus, licet ingenia non inferiora Graecis et Romanis alat.



VIRO

VIRO
EXPERIENTISSIMO, AMICISSIMO
IO. AVGVSTO WOHLFAHRT

S. P. D.

CHRIST. ADOLPH. KLOTZIVS.

Facile pro ea, quae mihi TE*cum est, necessitudine mihi credes, me non, quia mos postulat, sed ex animi sententia* TIBI *gratulari filium, mira ingenii alacritate praeditum, optimarum artium studiis deditum, honestatis eundem et probitatis studiosissimum. Quantum enim candori, quo profecto excellis, Vir experientissime, tribuam quantumque amem in* TE *animum, alienum ab istis turpissimis simulandi dissimulandique artibus, in neminem ulla maleuolentia suffusum, cuique bene cupientem, cuiusque fortuna laetantem, omnium commodis inseruire gestientem, quantum igitur illum animum amem dici non potest. Nescio quot mihi amicos homines haec ciuitas suo sinu complectatur. Credo esse admodum paucos. Nam frontis serenitati atque verborum blanditiis quis irasca-*

irascatur si me toties deceptum non fidem habere dixerim? TE *vero, Vir integerrime, scio mihi amicum esse; scio* TIBI *iucunda esse omnia, quae mihi laeta eueniant et bona, moleste* TE *ferre si qua mihi contingant non satis grata; vno verbo,* TVI *animi candorem cognitum habeo. Quidni igitur lubenter Filium* TVVM *in lucem publicam producam, cum praesertim is sit, de quo* TE *bene sperare iubeam? Ardorem, quo iuuenis ad optimarum artium studia fertur, nosti ipse, quotidianus eorum, quae agit, testis, assiduitatem cognoui ego. Nam probauit mihi vehementer diligentiam suam in scholis, quibus interfuit, meis. Quare* TE *gaudere iubeo, Vir amicissime, hac* TVA *fortuna, cuius* TE *olim fructum iucundissimum percepturum esse credo, imo polliceor spondeoque. Non ferculis, non conuiuii magnifico apparatu* TE *excipiam, non strepitu ambitioso hunc diem celebrabimus. Relinquemus hanc pompam aliis. Res nostras bene agamus, Deo dicamus gratias, pro iis, quae vtrique tribuit, beneficiis, eundemque oremus, vt nobis porro faveat illius providentia. Nostine meliorem, sanctiorem, iucundiorem, qua hunc Filii* TVI, *imo* TVVM, *diem celebremus, rationem? Sic igitur agemus.*

Scripſ. d. 18. *Sept.* 1770.

